

SÄVE, PER ARVID

**De institutione puerili publica commentatio :
[Diss. Consist.]**

Visby
1846

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

Finlandia. Sings.
Uuden-Aleman (Bd)

DE
INSTITUTIONE PUERILI PUBLICA

COMMENTATIO,

QUAM

AD PRÆSCRIPTUM LEGIS,

VENIA MAX. VEN. CONSISTORII WISBYENSIS,

PRO MUNERE CONRECTORIS OBTINENDO,

PUBLICÆ CENS. MODESTE SUBMITTIT

PETRUS ARVIDUS SÄVE,

COLLEGA SCHOLÆ.

IN AUDITORIO GYMNASII WISBYENSIS DIE XXIV APRILIS MDCCCXLVI.

H. A. M. S.

Excudebat AX. CEDERGRÉN.



APPROBATUR.

Wisby Dom-Capitel den 4:de April 1846.

Ad mandatum

CARL AHLBERG.





Jam satis omnibus est notum, sæculum nostrum, etsi in gremio pacis, multis internis laborare malis: ætas, quam dicunt novam, incertis fundamentis jam diu male vaccillans, in maximo versatur discrimine; dubia perscrutatur omnia, quæ antea fuerunt bona et gravia, rejicit quod olim fuit, et in omnibus rebus molitur nova. Sic ætas nostra pendet incerta, quoniam fundamenta ejus non diutius certa et firma durant. Hæc valida fundamenta vetustatis erat ille gravis optimatum principatus sive aristocratia, vel nobilitatis vel ecclesiæ, quæ sola sustinuit et semper sustinebit societatem humanam, gerentem aut formas tyrannidis aut civitatis liberæ. Societas humana nova, in intimis sic concussa et perturbata, quietem non prius recuperabit quam aristocratia, nostro tempore collabefacta, denuo firma et non dubitata manebit. Temporibus enim peractis erat ille principatus optimatum, vel nobilitatis vel ecclesiæ, vera aristocratia, id est, multitudini præstans virtute, consilio atque scientia; quare etiam hæc suâ præstantiâ gravis et valida stabat. Nostra vero ætas non diutius servat eandem æquabilitatem inter nostri ævi solum nomine optimates et ordines societatis inferiores, qui quidem, jam plurimum animo excultiores et dubii de pristino optimatum principatu, hodie magis magisque adæquant modum virtutis, consilii et scientiæ, quem antea aristocratia sola tenebat; quare etiam ordines inferiores hunc aristocratiae principatum, quondam debitum, nunc acri animo repudiant. Nulla enim aristocratia potest salva et integra durare solo jure armorum vel decretorum inveteratorum; et nisi in pejus ruat genus humanum atque societas, non potest illa æqualitas hominum inimica diu durare. — Igitur procedat necesse est nova aristocratia, cujus dominium reportent nova arma, stabilitet novum civium jus, ab inferioribus probatum. Illa nova aristocratia gestet solummodo arma nobilia intelligentiæ, culturæ et ingenii, quæ omnes boni probant et quibus rudes et inferiores tutissime flectuntur. Credimus, novum rerum ordinem tali modo posse exstare, ex quo proficiscatur tutior generis humani et societatis felicitas, cujus jactura etiamnunc exacerbatur animos civium, exacuit hostilia arma inter homines et exagitat infestissimos fluctus odii et intemperantiæ.

Amamus sperare, nos, hanc intelligentia et ingenio validam aristocratiam, hunc novum rerum ordinem et feliciorum statum generis humani tam diu optatum, facillime adepturos esse vera et emendata institutione puerili, quæ æquo amore caperet omnes societatis ordines et sexus: sic schola, sensu ampliori sumpta, nobis reddet lætissimos fructus! — Sed scholæ, ut attingat hunc remotum scopum, neque opus est sese mutare in alias institutionis formas, neque alias in se excipere disciplinas, nec alias dimittere; sed alium et digniorem in re publica teneat statum, alium præsertim in se habeat animum. Et quum schola quando tenet hunc meliorem statum et habet hunc meliorem animum, parvi refert quas institutionis formas, disciplinas et methodos gestet: aut doceant singuli præceptores juventutem secundum ordines descriptam omnes disciplinas, aut inculcent singuli præceptores juventuti singulas disciplinas per omnes scholæ ordines, aut mutuâ præceptorum operâ in nonnullis scholæ ordinibus, vel alio docendi more vel alia methodo — re vera minimi erit. — Sed ut schola sit particeps hujus status in re publica dignioris et animi novi et emendatoris, necesse est ut res scholastica amplectatur illam rerum commutationem, quæ imprimis spectat ad institutionis interna, et quâ magis inservitur educationi quam eruditioni juventutis scholasticæ; quod quidem heic infra quam brevissime conabimur exponere.

Schola, semper publica aut certe sub auspiciis rei publicæ, sit divisa in duas diversas partes, in scholam quam dicunt doctiorem vel classicam et apologisticam; sed sub moderamine unius rectoris, qui, multis partibus disciplinæ haud oneratus, inprimis possit vacare curæ scholarum, ac sua experientia et consilio, tum rei tum præceptoribus prospere succurrere. Sit autem semper classis communis, in quam primum excipiantur teneri pueri: in hac possunt præceptores experiri indolem animi et ingenium puerorum, si quando sint apti abire in unam vel alteram partem scholæ. Hac notitia juventutis tali modo comparata, rectoris et præceptorum erit admittere selectam juventutem vel in scholam doctiorem vel apologisticam. Si quis in schola doctiori alumnus tamen in sequenti laboraret invita minerva et infelicibus obiret studiis gravioribus, recurret in scholam apologisticam. Sic schola doctior, potens summæ intelligentiæ et ingenii, nec non firma animi dotibus juventutis suæ excellentioribus, poterit nutrire et præstare illam veram, heic supra optatam aristocratiam intelligentia, cultura et ingenio nobilem. — Schola apologistica nihilominus semper magni ponderis erit: quippe quæ substruat ima rei publicæ fundamenta.

Quum religio semper sit stabilissimum fulcrum societatis humanæ, voluerunt veteres, ecclesiam materno tegmine defensuram esse teneram scholam; quod quidem ecclesia, tum temporis validissima societatis potestas, fecit felicissimo successu scholæ, adhuc imbecilli et haud adultæ. Sed labentibus sæculis, ecclesia magis magisque debilitata, et schola indes crescente viribus et gravitate, hæc diutius non voluit tolerare jugum ecclesiæ semper durius. Censemus, nexum inter ecclesiam et scholam jamjam minime esse utilem utrisque partibus: docentes enim juventutis scholasticæ, si etiam sunt maxime apti ad institutionem puerilem, non capiunt fructum debitum

sui laboris intra scholam, sed præmium remotum sero expectant inter stipendia et bona, quæ fessis porrigit ecclesia. Putamus vero, hæc bona et commoda ecclesiastica non esse danda exhaustis juventutis scholasticæ præceptoribus, sed solum ecclesiæ ministris, qui nunc sæpe inviti trahuntur in scholam, ut tantum sibi velocius comparent beneficia ecclesiæ; quæ omnia et ecclesiæ et scholæ detrimento sunt. Secundum sententiam peracti temporis ephoralem potestatem in se habet episcopatus, gerens summam curam scholæ; et sæpe prospero successu. Sed quum nostro ævo non solum ecclesia, sed etiam schola sit per se jamjam gravior; nonne alteri debet aliud caput, alteri aliud — suum cuique? quam sententiam non possum quin affirmem. — Igitur putamus, collegium sive ministerium scholasticum debere institui, quod curet omnia, quæ pertinent ad academias, gymnasia et scholas.

Inter res, quibus inprimis felicissime foret consultum saluti scholæ, est sine dubio ille modus, quo præceptores educuntur et promoveantur ad munera scholastica. Excipiuntur nunc præceptores in scholam pro meritis academicis, reportatis ex laboribus doctrinæ et eruditionis: interdum sunt testimonia harum rerum amplissima, et ita scholæ magno commodo; interdum sunt perexigua aut fere nulla. Hæc vero testimonia, vel longe amplissima vel perexigua, sæpe parum utilitatis afferunt rei scholasticæ: respiciunt enim interdum dotes et facultates animi, quæ sæpe sunt scholæ longe alienæ. Eruditio academica haud quidem est spernenda; sed ponderis multo maximi est tamen indoles animi futuri præceptoris ad juventutem et institutionem puerilem prona, quæ ante omnia non est negligenda, sed diligentissime investiganda et promovenda: Est etiam opus experientia in rebus scholasticis, quæ non carpitur eruditione academica sola; et doctissimi viri subinde in initio prosunt parum scholæ, præsertim dum læti trahuntur ad alia studia et munera, ex quibus majus commodum postremo expectant. Neque ullum auxilium hauriunt recentes præceptores ex experientia majorum in re; et quum quando ipsi, tædio sibi et incommodo juventuti, sibi paraverint quandam peritiam rerum, nullum fructum suæ experientiæ possunt subsequentibus præceptoribus tradere: et sic semper est schola infaustissimus exercitationum campus, qui solum dubios adducit fructus. — Itaque necesse est ut instituatur institutum vel seminarium, in quo, ducibus magistris scholæ majoribus, sit possibile primum perscrutari indolem animi futurorum præceptorum — quod sit conditio sine qua nemo ad munus scholasticum admittatur —, tum eorum eruditionem, et iis denique suggerere debitam rei scholasticæ experientiam. Sic possint præceptores, hoc modo pertentati et instructi, alacri et indefesso animo inservire rei scholasticæ.

Quamquam præceptor habet summam eruditionem et eximium amorem muneris scholastici, res tamen haud prospere cedit, si nempe non scit partes disciplinarum ita proponere, ut semper in nobile et sublime abeat res, semper exhibens bonum, verum et pulchrum. Quod nunquam efficere potest, si solummodo norit præscriptos disciplinarum libros et elementa rerum, eaque etiam quam accuratissime: præceptor enim non solum opus est discipulis inculcare elementa, sed etiam fructum suæ eru-

ditionis viva voce ita proponere, ut inde juventutis amorem studii et litterarum accendat. Neque præceptor solis pensis ediscendis lacessat memoriam tironum, imprimis non juniorum; sed colloquio de rebus grato et faceto eos alliciat ad scientias et artes: nam præceptor non modo sit iners examinador et auditor juventutis, sed vivus docens. Quam utilitatem habent discipuli e. g. ex studio historiæ Patriæ, nisi præceptor in re, non solum nomine historicus, esset gnarus historiæ generis humani et rerum temporibus peractis gestarum et morum et usuum vetustatis? aut quid commodi hauriunt pueri ex notitia geographiæ, nisi instituantur a magistro, qui habeat quandam peritiam orbis terrarum, geologiæ et hominis, nec non systematis naturæ, et qui sciat hæc omnia aptis verbis coram tironibus tractare? — et sic porro in ceteris disciplinis. — Methodum illam sive docendi modum, qui colloquium familiarius inter docentes et discentes sic excitat, magnopere commendamus.

Examina anniversaria in schola sint semper publica, ut sunt: credimus tamen, usum hodiernum non esse optimum, quo omnes ordines eodem tempore examinantur. Singuli vero præceptores exponant coram ephoro et auditoribus fructus sui laboris intra suum ordinem vel in sua disciplina. Tum fruerentur omnes præceptores voluptate et utilitate exaudiendi cujusque sui collegæ examinandi dona, et sic moniti, esset iis facilius evitare ejus vitia; et ephorus quidem ac corona auditorum, pluribus auditionibus non distracti, possent ferre sententiam de rebus æquiores.

Longe gravissima inter disciplinas scholasticas est sane religio: hac ommissa, præceptor quidem potest excitare acumen ingenii discipulorum eosque facere promptos et eruditos, non vero bonos cives. Quare etiam præceptores, etsi sæpe carent theoretica scientia in rebus theologicis, sedulo conantur imbuere juventutis animum doctrinis religionis: et omnes, quæ possunt, disciplinæ debent semper aspergi lumine religionis, quæ non potest, ut oportet, illustrari nisi auxilio plurium scientiarum. Institutionem religiosam administrabit præceptor, huic rei proprius, in hac totus, non modo præceptor religionis haud ignarus, sed eruditus theologus, et, quod pluris est, verus Verbi Divini minister, qui, candidus mores et integer vitæ, flagranti animo et indefessa cura, munus sacrum et grave amplectetur, nunquam carens fiducia juventutis. Sacerdos, animi tam erecti, præcepta religionis christianæ semper explicabit et imprimet non solum in memoriam, sed imprimis in animum juventutis studiosæ, uno loco simul arcessitæ; sub ejus auspiciis non minus quotidianæ preces sunt fundendæ, quam habeat auditionem discipulorum de sacris orationibus. Innixus fiducia et amore juventutis, ejusque indolis gnarus, curam animorum placide gerens, erit semper morum in schola custos utilissimus et optimus. Sic etiam vindicabitur jus ecclesiæ in schola.

Constat, sanum animum non esse nisi in sano corpore: igitur quum indies diligentior cura respectu animi impendatur in juventutem, et quum corpus — instrumentum illud necessarium animi — studiis et laboribus animi jamjam debilitetur, credimus, maximi esse momenti, ut juvenus scholastica suffulciatur et firmetur aptis cor-

poris exercitationibus, palæstricis et gymnasticis, ex quibus solum proficiscitur bona valetudo et dignitas corporis. His enim ludis omissis, potest nec corpus ferre onera studiorum infaustissime adaucta, nec potest animus sustinere debitam ingenii alacritatem, quæ sola promovet gratos fructus institutionis puerilis, sibimet ipsi et societati humanæ. Quare optamus, rem gymnasticam scholarum citissime ex infirmo statu præsentis in melius abituram esse: ludi gymnastici vero nullum successum habebunt, prius quam eos exercuerit magister ludi, rite examinatus et in medicina versatus. Is omnia, quæ ad sanitatem et curam corporis pertinent, curabit; et apto ad rem palæstricam loco et campo, temporibus inter labores animi, quotidie exercebit juventutem, his ipsis ludis ad graviora studia animi alacriorem et adauctiorem factam. Ad quos ludos accedant tandem armorum exercitationes, quæ quidem civi futuro ad Patriam defendendam maxime opus sunt. — In his sequamur nobiles Græcos!

Cum studia, ut dicuntur, classica multum conferant ad nobiliorem hominum et civitatis animum, æquum est, ut foveat schola doctior sive classica imprimis illa, quæ, ut nunc jamjam usu venit, nec arceant nec suffocent aliæ institutionis disciplinæ, quas præsertim suggerat schola apologistica.

Vernacula nostra lingua, quam quidem interdum dicunt sermonem gloriæ atque heroum nobilem, etiamnunc haud exulta in scholis manet. Sed quum hæc, egregiis Suecanorum virorum operibus et in artibus et in scientiis, jam dignum locum teneat inter reliquas Europæ linguas, est quidem civitatis excolere linguam paternam, et scholæ imbuere juventutem diligenti notitiâ hujus, quam ardentem desiderat amor justus Patriæ. Juventus tenera non solum grammaticæ legat vernaculam, sed etiam, quum robustior est facta, materiâ orationis datâ, proprio Marte componat scripta; quæ, materiis sic ex omnibus disciplinis sumtis, non modo imprimant linguam vernaculam, sed etiam afferant firmitatem in plurimis doctrinæ disciplinis. Neque hoc loco omittamus monere, ut juventus studiosa debeat exerceri in vernacula dicenda et pronuntianda; quod quidem, si auctores classici, modo poëtici modo prosaici adhiberentur, afferret suavitatem oris et vocis gratissimam.

Omnia enim sunt plurimum commendanda, quæ juventuti suggerunt gustum et sensum pulchri, nec non reddunt animum pronum ad veram humanitatem: hæc sunt imprimis artes elegantiores, quæ undique et semper capiant et arrideant menti juvenili, et semper suadeant candidos mores et animum erectum. Inter disciplinas jam numeratur ars musica; et bene est. Sed quum artes dicantur liberales, et plures pueri, iniqua natura male trahantur ad hanc artem exercendam, vellem, pingendi artem patere illis adolescentulis, qui forsitan habent animum illi arti proclivum. Sic optime consulitur diversis puerorum animis. Præterea vellem concedere pueris adultioribus libertatem eligendi quasdam institutionis disciplinas etiam graviores.

Quum tandem schola tam magni sit civitati, necessarium et dignum ducimus, illam esse ornandam omnibus rebus, quas cultus domesticus æque desiderat, instru-

mentis et apparatu cujusque generis sufficienti et apto, non solum respectu scientiarum, sed etiam respectu externi. Itaque sint ædes scholasticæ nobili forma exstructæ, earumque auditoria haud angusta sed luculenta, exornata modicâ suppellectili, nec non statuis et imaginibus inclytorum virorum. Diversa sint atria, quæ in se possint capere copiam librorum et rerum e regnis naturæ et scientiarum, quibus Insula patria jam scatet. Omnia cingat denique hortus et campus palæstricus. — Sic juvenus studiosa ubique adspiceret monumenta historiæ, artium et naturæ, ad virtutem serio atque jucunde provocantia!

— Sit Schola sub augusta ægide Justitiæ et Veritatis indies verior, validior, utilior, sibi et Patriæ dignior! —



www.books2ebooks.eu